

7

J. F.
RELIGIO

CURIENSIUM,
MODERNA EVANGELICO-LUTHERANA,
Fide & Ritibus,
per DEI Summique Magistratus curam,
adhuc integra,

&
Historicâ
DISSERTATIONE POSTERIORI
ad nostra Tempora perducta.

Quâ ipsâ
ad habendum d. XV. Junii, à Sacris Matutinis,
in

Illustri Curiano
ACTUM ORATORIO-VALE-
DICTORIUM,

Curianæ Urbis Primores

&
Studiorum Fautores Quosvis
invitat.

M. JO. CHRISTOPHORUS LAYRIZ,
Gymn. Patrii Rector.

Literis Mintzelianis.

Confluctantem hactenus cum Papæi Pelagi fluctibus Lutheranæ Religionis in Urbe nostrâ vidimus naviculam, immisissis quoque Satanici turbinis furoribus hostiliter factis oppugnatam, excusos in mare Palinuros, & disiectos undiq; magistros; de adducta tandem in portum ut gaudeamus subductaque, & halcyonios quasi agente dies, ordinis nos jubet ratio.

Equidem Terminum hujus Tranquillitatis jamjam stitimus, Annum scilicet 1529. quô ipso proxima post *Aegidii diem Dominicâ, XV. Trinitatis, V. autem Septembris*, Coena Domini a Pontificiorum corruptelis atque furtis perpurgata, Germanicè celebrari & distribui cepta est. Et quamquam Satanæ in tantum indultum, ut biennio post fidelissimus pariter & vigilantissimus Evangelii præco, *M. Casparus LOENERUS*, cum Parastata conjunctissimo *MEDLERO*, Urbe pellerentur, non tamen simul ipsam Evangelii extingvi lucē Numen benignissimum passum est, sed quæ semel Optimi Principis *D. GEORGII* jussu, publicè super Ecclesiæ nostræ candelabro suos distrinxerat radios, intemerato fulgere perrexit jubare.

Duobus autem cum primis mediis splendor ejus ad nostra quoque propagatus tempora, prius *Legitimam* Ecclesiæ dixeris *ORDINATIONEM* seu *CONSTITUTIONEM*; posterius sedulam illius Inspectionem, seu *VISITATIONEM*, quæ utraque laudatissimus Princeps magno animi zelô urfit, illustri suo exemplo ad posteros transmisit, eòq; ipso & nostræ Urbi insigniter profuit.

Monet argumenti dignitas de utrisque pluribus esse sollicitos, ut ex priori cum primis appareat, quænam tum doctrinæ, tum etiam Religionis Ceremoniarumq; hodiernum apud nos vigeat fervor, ex posteriori sedula Magistratus eluceat cura, in purioris doctrinæ vitæque integrioris conservationem studiô intentâ.

Illud quod attinet tenendū ex superioribus: in *Conventu SVGBA-CENSI*, A. 1528. die *Mercurii post Corporis Christi Festum* inchoato, à Theologis Consiliariisque Brandenburgicis & Noribergensibus non tantum XVII. Articulos fidei, ipsi Augustanæ Confessionī postmodum fundamenti loco substratos, fuisse consignatos, sed &

Librarium rerum in Ecclesia, tum quoad fidem, tum quoad ritus agendarum conscriptum, ad cuius tenorem ut in fide, sic in externis quoque ritibus, se Marchionatus nostri componerent & aptè conformarent Ecclesiae.

Quin eo ipso quoque Anno *Agenda haec Ecclesiastica & Rituale Marchiaco-Noricum* publicis typis sint commissa, vix dubito, quamquam nullum ejus anni exemplar videre mihi haecenus contigerit, *LOENERUS* certe anno statim sequenti, 29. scilicet, similem librum, in usum Curianae Ecclesiae, procul dubio ad illius ductum, modò quod in specialibus circumstantiis, pro loci ratione, variaret, congescit, qui hodiernum in nostro ad D. Michaëlem Templo comparet, & Titulum habet: Canon oder Rubrica aller Kirchen-Ordnung/ allhie zum Hof zu St. Michael, angefangen erstlich im 29. Jar der mindern Zal/ durch M. Caspar Voener/ Predigern daselbsten.

Anno Seculi istius 33. autè fuisse excusum praemissum Curianae Editioni, A. 1591. in publicum datae, D. GEORGI ad Officiales suos Urbanos & Paganos docet edictum, *die Luna post Antonii Anno 33. Jegerndorffii* datum. Citata Curianae Editio inscribitur sequentibus: Kirchen Ordnung/ in meiner Gnedigen Herren der Marggraven zu Brandenburg/ und eines Erbarn Raths der Stadt Nürnberg Oberkeit und Gebieten/ wie man sich beyde mit der Lehr und Ceremonien halten solle. Aufß neu ißo dem alten Exemplar nach/ mit sonderm Fleiß wiederum gedruckt/ zum Hof/ bey Mattheo Pfeilschmidt. Anno Domini 1591. Junctus huic Constitutioni *CATHECHISMUS*, per planissimas & liberorum captui appositissimas conciones explicatus, in publica istorum institutione pralegendas.

De singulis autem Sacrorum actibus in ibique observari solitis ritibus solennibus, nunc pressius esset dicendum; Verum, cum non exiguas aliquot requirant haec pagellas, sed pios Majores integris libris defatigarint, dicendorum mole deterritis cohibendus ferè esset calamus, Ne tamen planè nihil dixisse videamur, & ma-

gnum devotionis illorum, pro expellendo frigore temporum nostrorum, prætermisisse argumentum, per compendium saltem quæpiam afferam, & temperamentum brevitatis ubique mihi indicium putabo.

Scilicet dividebant Majores nostri omnes actus Sacros
 1) in *MATUTINOS*, die Früh: Capitel / (loco der Frühmessen) qui singulis diebus profectis, olim horâ IV. in æstate, horâ V. in hyeme, incipiebant, horamque integram durabant, Concione itidem singulis diebus, à Diacono istius septimanæ Præfide, in prælectam V. aut N. T. Pericopam habitâ, variis *Cantionibus*, *Psalmis*, *Antiphonis*, *Responsoriis*, *Precibus*, *Collecta* &c. ornabantur; Hi hodiernum perdurant, in eò tamen immutati, quod nunc indifferenter *seprimâ*, ut non ita pridem, *per æstatem sextâ*, *per hyemem v. hora seprimâ*, inchoent, *Cantus modulatione*, *Capitis V. & N. T. Summariorumq; Viti Theodorici*, aut alterius cujusdam Doctoris, in illud prælectione, *precibus matutinis & publicis*, *Sacerdotalisque benedictionis Collecta*, per tres horæ quadrantes, absolvantur, diebus autem *Concionibus & Publicis Suffragiis*, denent *Beth: Stunden* dicatis, plane exulent.

2) *DIURNOS*, quibus d. d. & h. hora VIII. campanæ pulsus initium dabat, *stata & ordinaria Cantiones*, *Diaconi Collecta de tempore*, *prælectio capitis V. T. cum brevi explicatione M. Viti Theodorici*, *pars Litanie per pueros decantata*, *brevis repetita cantioncula & Orationis Dominicæ modulatio cum Benedictione Sacerdotali* medium & finem imponebant.

Jungebantur his *ACTUS BAPTISMALES & NUPTIALES*, qui nunquam sine publico congregato cœtu, nisi causa necessitatis, celebrati, ita tamen, ut posteriores Actum ad 9. horam differrent, *Concioneque nuptiali*, aut *prælecta*, aut *habitâ*, cum aliquot *Cantionibus nuptialibus* post & ante copulationem coronarent. Sed Actus hi diurni bene multis jam abhinc annis cesserunt, adjunctis illorum in aliud tempus rejectis.

Perdurant tamen habitæ diebus & & *Conciones publicæ*, tempore cum matutinis Actibus consveto inchoandæ, ni ingruens in illam ipsam septimanam Festum eas sufflamiæet. 3) *VE-*

3) **VESPERTINOS**, qui quamquam primis temporibus omnibus in univertum incolis, singulis diebus profectis, frequentati ex **LOENERO** apparent, postmodum tamen *Cæui Scholastico* videntur quasi proprii facti, cui quoad inferiores classes, diebus *D. S. &* quoad totum *Cætum* & in *Templo Cænobii*, horâ secundâ congregato illi *Antiphonis, Psalmis, Responsorio, Hymno de tempore, particula certæ è N. T. in tribus linguis famosioribus prælectione & Inconatione Collectæ* sunt absoluti.

Solennius autem istud erat Officium, quod die *q̄ H. L. Q. C. CATHECHETICÆ liberorum INSTITUTIONI*, à proximâ post Pascha Feriâ quinta, usque ad ingruentem hyemem, sacratum, & *Præside Domino Superattendente, Diaconis omnibus & Cantore* præsentibus celebratum, ubi tenera pubes in capitibus pietatis, & qui cum primis inter Catechumenos nomen professi, in *Articulo de Pœnitentia & S. Coena exercitati, & Cantu, Precibus, Evangeliorum dictorumque Dominicalium* recitatione, ut Solis die, tempus piè contritum. Postmodum labor hic publicus cessans in Scholas videtur remissus, & Catechumenorum Institutio privatis *Rever. Pl. Ministerii* laribus alligari cepta est.

Unæ adhuc publicæ supersunt diei *b̄ PRECES VESPERTINÆ*, quibus ad piam Antiquitatis æmulationem, initio olim à Diacono, hodie ab Alumno per Solenne illud: *DEus in adiutorium meum intende, factis, Responsorioque cum Gloria per Chorum reddito, medium per Antiphoni Psalmique decantationem, Responsorii cum concen- tu Organi modulationem, Hymnum quoque subjunctum & Lektionen Epistolæ Latine, Evangelii, Summæ & Precatiunculæ Germanicæ, Versiculi Cantici Germani & Magnificat decantationem, accinente identidem Organice, decurrit, tandemque clausula per Sacerdotis Collectam & puerorum Benedicimus &c. fuit apposita, quem ordinem in aliquibus immutatum, Cantuque Germano intermixtum hodiernus videt dies, ut qui interim ab hora XII. in confitendis peccatis occupantur, habeant, quo pœnitentiam publica devotione excitent.*

Nunc ad dierum *Dominicalium ac Fæstorum Solennia* foret progrediendum, & **SUMMI** cum primis **OFFICII** des *Hohen Amts* / aliis

ob S. Coenæ publicam administrationem, *MISSA* die *Mess*/ dicti
 celebritas esset depingenda, quam *WIDEMANNUS XII.* distin-
 ctis tradit capitibus; sed cum moles sub manibus crescat, plura hic
 afferre nō licet, quā quod triplici ut nobis quoque cultu, dictæ co-
 honestatæ sint dies: *SUMMI OFFICII* ad D. *Michaelem*, quō tamen
 durante *Laurentius* quoque noster in Veteri Urbe sua urget sacra;
CATHECHETICÆ INSTITUTIONIS, hor. XII. in Templo
 Francisci summa cum cura antithac susceptæ, & hodie inibi con-
 tinuari solitæ; Denique *PRECUM VESPERTINARUM & CON-*
CIONIS alternatim ex *Epistolis Dominicalibus & Catechismo Lutheri*,
 ut etiamnum moris est, habendarum.

Quod *Xenodochialis Ecclesiæ* cultum Summo Officio præmitti
 solitum, hic omitam, non eā ducor ratione, quod illum æquè per-
 antiquum non habeam, sed quod *Lænerus* pariter & *Widemannus*,
 quorum vestigia hic legere visum, nihil de eo in Regulis suis at-
 tulerint. Ceterum, ut singulis diebus Solis ille calet, sic & quoque
 die, nisi Festum impediatur, concione hominum saluti consulit, cui
 ipsa *Suffragia* die *Beth-Stunden*/ *Matutini Officii* loco, ad D. *Mi-*
chaëlem olim habiti, ordinariè subjunguntur.

Nec planè prætermittenda *Officia* illa *Vespertina*, *TENEBRARUM*,
 quod sub finem diei celebrarentur, vocata, die *Abend-Miet-*
ten/ quæ tribus *Hebdomadis Magnæ* seu *Passionis Christi Feriis*, quartâ
 scilicet, quintâ & sextâ fuerunt instituta, & hodiernum, in toto hoc
 Marchionatu, tantum in Urbe nostrâ *Curienti*, à III. ad V. frequen-
 tantur, quibus *Antelucana* duo, die *Früh-Mietten*/ in *Nativitatis &*
Resurrectionis Christi diebus, olim horâ matutinâ II, nunc tertia ad
 quintam, pari separationis privilegio, connumerari merentur; &
 his omnibus *Sacris Lætionum, Concionum Canticorumque* exercitiis jugi
Passionis Dominicæ Meditationi incumbere, & *Summorum Fe-*
storum devotioni viam sternere consuevimus.

Solæ *Funerum* supersunt *Deductiones*, non postrema, quæ *Chri-*
stiana charitas exercere nos jubet, fidei nostræ specimina, eâ à no-
 bis suscepta & ab *Antiquitate* tradita methodo, ut tum lautiorum
 for-

fortuna, *Generalibus* ut vocant *funeribus*, mit ganzen Chören/ & publica *Concione* splendor conciliaretur, praesentibus tunc singulis verbi divini Ministris & coetu Gymnasii integro; tum mediocrium quoque & tenuiorum confuleretur facultati & reculis, *Sermone funebri*, (eine Vermahnung) praelecto, idque in *Exequiis vulgaribus* seu *Particularibus*, mit einem halben und vierthel Chor/ quibus singulis olim, propter publicos, ut credo, labores, paulò ante tertiam pomeridianam, initium est datum, hodie pro circumstantiis vices legi cognoscimus.

Quis autem in singulis recensitis divini cultus Solennibus, rerum agendarum fuerit ordo, non pensi habuit devota nostra Antiquitas, sed summo studio ac solertia consignavit, eiq; strictissime inhæsit. Et cū omnis actio, vel ad *Sacerdotum*, vel integri coetus nomine, ad *Chori Ecclesiastici* redire soleat ministerium, Priorum quidem pensa ad singulos actus accuratissime consignavit laudatus toties *M. LOENERUS*, in citato supra *Canone* sive *Rubrica*. Posterioribus Lesbiam Regulam tradidit fidelis ejus in munere Socius, *MEDLERUS*, qui in Codicibus Manuscriptis, Scholæ Curianæ dicatis, cantica per totius anni circulum usarpanda, in Choralis & Figurali Musica delineata, suæ pietatis & diligentiae indicium apud Posteriores extare voluit.

Hic autem liber in Templo S. Michaëlis, ut prior ille hodiernum, olim erat visus; post (Manes non lædo, sed *B. WIDEMANNI* saltem verba mea facio) *Cantorum ignavorum & impiorum* (Dn. Nicolaum Flesæum secutorum) petulantia, subtractus clam fuit, ne videlicet omnia pro libito & prout in buccam singula veniebant, cantantibus is obstaculo esset, eosque confunderet: Pietatis nimirum studio indies frigescente, & post Domini Jacobi *SCHLEMMERI* & Collegarum ejus tempora vix amplius hærente.

Quum igitur non sine publico Chori & Ecclesiae damno periisese videretur, placuit *B. Widemanno*, in laudem Salvatoris & Ecclesiae Curianae decus, cuncta, quae singulis diebus in ea peragi necesse esset, ordine denuò conscribere, & in communem usum conferre. Qua in re ipsi diligentiam *Mosis POELMANNI*, olim in hac patria sua Cantoris fidelissimi

qui in usum privatum ejusmodi Choralium Canticorum Indicem sibi paraverat, & quotidianam ab incunte ætate faciendorum in Ecclesia observationem, multum profuisse, fatetur.

Ichnographiam hujus operis A. 1585 cepit, illudque A. 1592. perfecit, & die S. Michaëlis Archangeli, Ecclesiæ Parochialis Patroni, illi ipsi dicavit, tantum non obsecrans omnes Patriæ pios & doctos Ludimoderatores (penes quos simultanea tunc Musicæ erat inspectio curaque haut sterilis) & Cantores φιλοπόνους, ut hunc ejus laborem, normam actuum sanctorum Ecclesiæ perpetuò habeant, omniaque ad Apostoli monitum εὐχαριμόως καὶ καλῶς αἰεὶ fieri, quantum in ipsis, curent.

Titulus libri est: *Ordo eorum, quæ in omnibus sacris actibus ad S. Michaëlis, quæ Curie Parochialis Ecclesia est, diebus tam festis quam profestis, ad laudem DEI O. M. & ad animos piorum in verò Dei cultu exsuscitandos & retinendos, religiosè observantur, qui liber nobis adhæc superest.*

Verum enim verò, quæ temporum sunt vices, ut illa mutantur, & nos mutemur in illis, eas & hujusmodi experta sunt Ritualia, ad quæ omninò nostri cultus ceremonias in multis perperam nunc componas, ita tamē, ut libertate Christianâ, multa, quæ fermentum Pontificium redolere videbantur, planè obliterata, & Latinorum cum primis *Antiphonarum, Responsoriorum, Intonationum* frequentia in *Cantiones Germanas* piorum Ecclesiæ Doctorum, vulgi studio, sit commutata.

Interim, quod Deo decentes agimus gratias, in illa Religionis puritate in hodiernum persistimus diem, in quam **B. LUTHERI** ministerio sumus adserti, nullius neque Syncretistico-Papæ, neq; Crypto-Calvinianæ impietatis veneno ullatenus infecti, à quo post Deum, Serenissimorum Patriæ Patrum provida cura abesse nos jussit, quæ tum solerti Illustris à D. GEORGIO præmeditati, à gloriosissimo autem Successore Filio, GEORGIO FRIDERICO A. 1565. felicissimè ordinati Consistorii curâ, tum institutis hinc inde, quoties per tempus licuit, publicis privatisque *Visitationibus* in eo tota fuit, ne Ecclesia & Respublica quid detrimenti caperet.

Dum commodè in hanc rem deferor, cujus enarrationem jam su-

pra mihi injunxi, non possum, quin & ex nostris quaedam excerpam, & quæ ad supplendam Ecclesiasticarum rerum nostrarum Historiam cum maximè faciant, in medium afferam.

Non autem hic omnes enarrasse videbor *VISITATIONES*, cum aliquæ illarum nostros fugere fortè queant pluteos, quæ tamen in illis repertæ sunt, sequenti sistuntur quasi Catalogo.

Et *Primam* quidem *Evangelicam Visitationem* Ecclesiarum nostrarum quamquam *WIDEMANNUS* eam faciat, quæ A. 1563. conclusa, sequenti verò demum habita, mihi tamen altius, & ad ipsius toties laudati Religionis veræ in terris nostris Restauratoris, D. GEORGIÆvum, ascendendum omninò videtur, & asserendum, quod eò ipso anno, quò *Synodus Syobacensis* celebrata 1528. *Visitatio* quoque *Generalis* Ecclesiarum, tum per Marchionatum Superiorem (quem nomine *ALBERTI Junioris, CASIMIRI filii* adhuc minorennis, cui Tutor datus, una administrabat) tum Inferiorè, nec minus Noribergensis Urbis ditionem fuerit instituta. Non enim tantùm inter conclusa istius Conventus expressis verbis legitur: *Visitationem Generalem Ecclesiarum fuisse decretam*; Sed ipsius Serenissimæ literæ ad Officiales suos dimissæ, & Constitutioni Ecclesiasticæ, ut supra innuimus, præmissæ, id mihi liquidò asserere videntur, cum statim ab initio hæc exhibent legenda: *Nachdem wir aus Verleihung Gottes sonderlicher Gnaden/sein heilig Göttlich Wort/ zu predigen befohlen/ uns auch vergangener Zeit mit den Ehrsamem/ Weisen unsern lieben Besondern/ Burgermeistern und Rathe zu Nürnberg einer Christlichen Visitation aller Pfarrhern und Predigern/ in unsern Obriegkeiten und Gebiethen verglichen/ und dieselben durch unser jedes Theils darzu Verordnere thun lassen etc.*

Fateor equidem, in nostris quidem *Curiensium Actis* publicis nullam ejus fieri mentionem, & majora quoque illustriorave *Charophylacia* parcè de illa loqui, ex eò mihi persvaserim, quod o' *πρίν* B. Dominus *Præses à LILIEN*, in suo D. GEORGIO æquè concisè, illam tantùm per universum *Burggrafiatum* institutam fuisse adserat, nec plura *Exc: RENTSCH.* in *Jubil. Burggraf. Nor.* in eam rem conferat.

Famofior autem est illa, quæ jamjam commemorata, A. 1563. pariter & 1564, tum *Baruchi*, 8. quidem Martii, ut mihi ex veteri Manuscripto innotuit, tum *Curie*, ut *Widemannus* noster testis est, habita. De hac enim non tantum *Vetus Instructio* sub rubrica: Erinnerung an die Pastores und Kirchen-Diener auch Amt- und Rathspersonen/it. an die Gemeinden. in scriniis Superintenduræ aservatur, cui subjunctum: *Articulos illos in proxima visitatione, quæ 25. & 26. Octobris, Schauensteinii in Vicinia habita, ordinatos, præsentisque Dominos Visitatores fuisse Joh. Sigismundum MUFFELIUM de Ermerstreuß/ Justum BLOCHIUM, Past. & Sup. Byruchinum. M. Joh. STREITBERGERUM, Sup. Curiensem & Fried. APPELLIUM, Poligrammatea Byruchinum; sed ipse quoque WIDEMANNUS plenarium ejus actû, ut in Urbe nostra, post Galli 18. Octob. 1564. perfectâ, eodem ipso libro descripsit, & Convisitatores Beringerum de KOZAU, Præfectum Streitbergensem & Justum BLOCHIUM, Ministerio Nostrati jungit, simulque recenset: Pannificem Curiensem, Erhardum GRO, Zwinglianam fidei suæ Confessionem scripto in illa exhibuisse, leniter tamen à Dominis Visitatoribus monitum erroris, ad sanioerem mentem postmodum rediisse.*

Tertiæ Visitationis natales Annus 1572. vidit, quam speciali Regiminis Principalis Burggrafiatus Superioris mandatô peregit M. Andr. PANERATIUS, Sup. Cur. cui suppetias tulere M. Joh. HELLERUS Pastor Kozaviensis, Capituli Senior; Jo. SAHR, Past. Xenodochialis, & reliqui quatuor Diaconi Curienfes, & quidem Vigiliis Martini, 2 die 10. Novembr. publicè ad D. Michaëlem, die 11. in Curia civili & 12. in Veteri Urbe. Seqventi A. 73. tanquã singularis Visitationis fructus, Matrimoniales prodiere Articuli, ejusd. supra laudati genuini Ecclesiarum Patriæq; Patris GEORGII FRIEDERICI auspiciis, addito jussu, ut bis in anno, Dominica prima post Pascha, & proxima post Michaëlem, publicè prælegerentur, qui ad omnium novitiam Curia, typis Pfeilschmidii, in 8vo eod. an. excusi, sub titulo: Warnungs-Articul/ von Ehestiftung oder Ehe-Verbündnissen. Hinc Quarta succedit, biennio post A. 74. inchoata, cujus vestigia non ita paulo post Quinta nomine legit de dato 11. August, 1576. mandata.

Sexta

Sexta A. 1578. novo jussu absolutissimâque Instructione à Serenissimo communicatâ, inchoata & 79. perfecta est, ad hujusque exemplar reliquæ usque ad A. 1599. leguntur conformatae. *Septima* A. 1580. D. Aurelio *STREITBERGERO* injuncta, & inter alias Diœcesanas Ecclesias, *Kaudendorffianam* quoque A. sequenti legitur visitasse. *Octava* in A. 1584. incidit, cujus integer actus in monumentis Superintenduræ adhuc reperitur, in simulq; quo modo controversia à Nobilibus de *Reitzenstein* Visitatoribus mota, satis acriter à Serenissimo pro suorum dignitate sit decisa. *Nonæ* Annus 86. assignatur Natalis, cui novo jussu *Decimam* 89. *STREITBERGERUS* suffecit. *Undecimam* Archiva denuò produnt, A. 1592. ubi Visitatores alicubi leguntur *Aurelium STREITBERGER D. Nicolaus FLESSÆUS Senior, & Gabriel JODIZER* *Questor* Curienfis, A. 1599. sub autumnum alia quædam, ordine *Duodecima* universam Curianæ Superintenduræ Diœcesin peragrassè indiculis traditur. *Decime Tertie* annus tributus 1611. ut transmissi tunc temporis Visitationis Articuli loquuntur, cujus actis *Ultimæ & Decime Quartæ* Acta 1616 superstructa creduntur, cum præter simplicem istius consignationem, quod scilicet facta sit, plura de illâ in Archivis nostris haud compareant. Cur sequentibus annis salutaris adeò instituti frigere inceperit conatus, facile hariolabitur ille, qui afflictissimam bello tricennali & miserrimam harum quoque terrarum faciem cogitaverit, medio tamen adhuc bello ejus non planè dememinisse Patriæ nostræ Patres, arguit, quod gloriosiss. mem. Princeps *ERDMANNUS AUGUSTUS*, cû A. Seculi hujus 43. Ecclesias Præfecturarum *Lichtenberg, Thierbach & Lauenstein* cû appertinentiis suis Inspectioni Superintenduræ Curienfis traderet, prius solennem illarum Visitationem *Georgio Christiano de BELLVVIZ*, in *Töpen*, Majori, Consiliario Br. Auræ Magistro & Præfecto dictarû Præfecturarum, ut & *M. Heindr. Teubelio*, Super. Cur. clementiss. demandaverit, quæ etiâ ordine dierum & locorû sibi ab 21. Febr. usq; 2. Martii succedentiû in *Lichtenberg/ Nayla/ Geroldsgrün/ Unternsteben/ Ludwigstadt/ Langenau/ Lauenstein/ Steinbach/ Filiâ*, feliciter peracta. Hactenus, quamquâ integraper Dei gratiâ fruimur pace, prægnantes tamen & fonticas intercurrissè crediderim causas, quæ animo jamdiu conceptam *Visitationem Generalem*, cui per *Speciales* Superintendentum in suis Diœcesibus, Serenissimi jussu præcludere, non ita pridem, & à Curienfi quidè A. 83. mens. 9br. in Præfecturâ *Lauensteinensi*, initium factum, huc usq; sufflaminârunt. Interea ne quid Religionis decederet curæ, hinc & inde, si forte in Ecclesiis nostris publica scandali mala pullulare minabantur, peculiaribus *SERENISS. Commissionibus*, & vigili nunquam

quam


quam non Illustris Consistorii cura hucusque succisum & in ipsa herba
 oppresum. Sic ergo, quam à Majoribus accepimus, benignissimi Numinis
 indultu, perpurgatam ac veram Evangelii fidem, eam constanter tenemus &
 tuemur, omnibus votis illius defatigantes gratiam, ut & ad feram nostram, si
 qua est, posteritatem, veram hanc transfundere Religionem liceat.

Nunc ad ea transeuntes, quæ in fronte hujus exhibuimus, binis ha-
 ætenuis Gymnasii nostri civibus ingenuis publicam hac ipsa Tabulâ indicim⁹
 Valedictionem. Cum enim utriq; prior in Urbe nostra natus, alter post ma-
 turam B. Parentis mortem in inquilinorum numerum transcriptus, omnia
 hæc ætenuis solertis in Illustri nostro ad Virtutis literarumq; gloriam formati,
 in tantum se complusculorum annorum decursu in studiorum curriculo
 profecisse credant, ut solem Academicum sufferre possint, nulli nos morari
 volumus, quibus ingenii non nulli & vitæ sine publica labe actæ laus
 moram non injecisse visa est. Legibus itaq; ad amicum satisfacturi, proximo
 die, à sacris martynis conscendent Cathedram & prior quidem

*Jo. Henricus FRANKIUS Curienfis, ex mente Plutarchi, pro privata vita di-
 cet, eumque benè vixisse demonstrabit, qui bene latuit. Posterior*

*Friedericus ASTMANNUS, Leinlederâ-Francus, idem λείθε βιώσας refu-
 tabit publicamq; vitam sepulta in tenebris præferet; hisq; grates utrorumq; nomi-
 ne Patronis ac Benefactoribus annectet. Nos ut abiturientibus prospera fata,
 studiorum majorem indies ardorem & faustos undique successus appre-
 camur, ita, quò splendorem quoq; Actui conciliemus, Serenissimi PRIN-
 CIPIS ac NUTRITII nostri Clementissimi Consiliorum Præsidi Summo, Consili-
 ario Intimo Eminentissimo, Exarcho Provinciali Curie gravissimo, Illustris. Comi-
 ti ac Domino, Dn. JO. ALBERTO, Comiti de Ronov & Biberstein, Domino in Op-
 purg, Knau, Krobiz & Grünau, Domino nostro multum Gratosiss. ; Nec non Viris
 maxumè Reverendo ac Pre-nobiliss. Domino Josepho Friderico à WALDECK, in
 Kulmiz & Dæbrastœcken &c. Pastori primario Curiano & Vicinarum Ecclesiarum
 Superintendenti, Gymnasii item Inspectori dignissimo; cum Reverendo plurimum
 Ministerio, Nobilissimis, Excellentiss. Medicis, Physico Ordinario & Adjuncto;
 Consultis. Dominis Officialibus; Urbis Senatui Prudentiss., Spectatiss. Gymnasii i-
 sidem Patrono & Scholarchis; Nec non Honoratiss. Dnn. Collegis, Pre-Eximii ac
 Clariss. Dnn. Studiosis, omnibusq; literarum Patronis & Fautoribus humiles, offi-
 ciosas ac decentes deferimus preces, ut gratiosâ honorificâq; præsentia ul-
 timis nostrorum conatibus intersint, cujus Gratia & Affectus hostimen-
 tum devotionis ac observantia amorisque cultum promittimus. PP.*

Dom. III. Trin. A. cl. lxx LXXXVII.



R

MODERN

DISSE

ACTU

M. JO.

O

HERANA,

ram,

ERIORI

urina,

-VALE-

LAYRIZ,

